

156

154

160

exactorum primo contentato. Quia enim sol jam mergebatur, aestimavimus exactores ideo non adesse et ita nos occulte urbem ingredi posse, multa enim terribilia per totam peregrinationem audiavimus de exactoribus Alexandrinis sub portis. Ponte ergo fossati transito ad magnam venimus ferream portam, juxta quam quidam Sarraceni stabant cum armis, sed penitus nihil nobis dicebant nec bonum nec malum, nec introitum prohibebant, sed subsistere ab intus jubebant simul, et dum omnes de exercitu nostro intrassent, clauerunt portam, qua clausa jusserunt nos procedere. Est autem post portam illam via curva inter altissimos muros et turres, usque ad interiorem portam ferream, quae dicit ad civitatem; ad quam cum venissemus, stabant intra eam multi armati, et cum ingredi vellemus, cum baculis et fustibus nos repulerunt et post se portis clavis jusserunt exonerari bestias et depositis sarcinis reserraverunt exteriorem portam et camelarios nostros cum camelis, asinarios cum asinis et cunctos alios praeter peregrinos et Halliu Trutschelmanni vicarium excluserunt et nos inter ambas ferreas portas concluserunt cum rebus nostris dicentes, quod in crastinum lustratis rebus nostris et soluto theloneo intromittendi essemus. Sieque ferreis portis et repagulis ac catenis ferreis murisque valde altis inclusi stetimus. In mentem venit mihi Dis civitas inferni ferrea, quae quam terribilis sit pluribus metris ostendit Virgilius, cuius regem singunt Plutonem poetae et canem tricipitem cerberum esse ejus custodem, inaudita voracitate cuncta vorantem, quem ideo tricipitem vocabant, quia latratus sonorus, mordax nimium et in tenendo fortissimus. Hic canis nullum intromittit bonum et justum, unde versus: Nulli fas casto sceleratum insistere limen. Hunc canem valde timuimus, qui avaritiam designat voracem et iracundiam mordacem, nec alia de causa inclusos nos esse scivimus, quam ut avaritia Sarracenorum laceraret nos. Igitur cum undique clausi essemus et res nostras aliquantulum compo-suissemus, recordati sumus defectionis nostrae et inediā sensimus et productis paximaciis deglutire vel dentibus frangere non poteramus, quia deerat aquae potus. Necessitate autem coimpulsi ad portam interiorem transivimus, quae duxit ad civitatem et cum lapidibus fortiter (**125 a**) pulsavimus. Accurrit autem primo ille invidus canis Halliu, qui nobiscum erat, et dure nos increpabat inde strepitu facto, sed nos eum non curavimus et spem in huma-

Ende

Anfang

